DEO OPT. MAX. VIR. DEIP. ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA MANE AGITANDA

IN SCHOLIS MEDICORVM CADOMENSIS ACADEMIÆ.

PRÆSIDE NOBILI VIRO MATTHÆO MAHEVLT DE VAVCOVLEVRS, REGIS CONSILIARIO, ORDINARIO MEDICO, ET PROFESSORE REGIO.

28.

An ſanguis vitæ Theſaurus?

ELEMENTORVM, ex quibus aliquid conſtituitur, non vna eſt natura, nec eadem contemplatio. In Geometriâ dicuntur punctum, linea & ſuperficies, ex quibus menſurabilia corpora conſtant. In Grammaticâ literæ, quarum coniunctio ſyllabas efficit. In μακροκόσμῳ, Cœlum, Ignis, Aër, Aqua, Terra, ſunt partes, quæ illam rerum compagem admirabilem conſtituunt. In mixtis omnibus, quatuor hæc ſimpliciſſima & prima corpora, Elementa ſcilicet, reperiuntur, ex quibus illa conflantur, & in quæ tandem reſoluuntur. Sic & in μικροκόσμῳ, ex eorum variâ alteratione & mixtione Temperamentum exurgit; ceu noua & quinta quædam qualitas, quam ſi formam mixti, vel præcipuum eius inſtrumentum in ſuis obeundis functionibus perhibeas, non pecces. Præter illa, quæ mixtis omnibus communia ſunt, perfectorum animantium alia etiam propria exiſtunt: quatuor ſcilicet humores, ſanguis, pituita, & bilis vtraque. Horum interuentu priora quatuor in compoſitionem animalium veniunt. Eſt enim humor ſubſtantia liquida, ex quatuor elementis orta, quæ generatim vtilem & inutilem comprehendit. Speciatim verò, quæ in corporis alimoniam aliquando ceſſura eſt; ſiue ſit χυλὸς, cremor pulti propè ſimilis; ſiue χυμὸς, ſuccus ille in lactibus conſpicuus, & ex chylo oriundus; qui vbi ad cor appulerit, cæterorum ſuccorum communem materiam exhibebit. Atque licet is vnicus, ſimplex, & ὁμογενὴς videatur, diuerſarum tamen partium admixtionem in ſe continet; adeo vt ex illâ diſſimilitudine, prodeat humorum varietas & diſcrepantia alendis partibus neceſſaria: vnde corporis alimentum vnum quidem & non vnum intelliges.

IN generatione quatuor iſtorum humorum idem accidit quod in muſto. Vt enim in vino ὑ πρῳ̃ πολλῷ τῶν γαρυῶν ἐκπεθυμμένῳ, poſtquam deferbuit, duo præcipua naturali ſecretione apparent excrementa; alterum λεπτόν τε καὶ ὄξος, ὃ ἀεροώδέστερον: alterum θολωδέστερόν τε καὶ γεωδέστερον. Illud florem, hoc fæcem nominant; quibus adiuncta eſt cruda quędam & aquea pars, temporis ſpatio in vinum commutanda; remanente interim vini optimâ ſubſtantiâ. Sic cùm alicui etiam ſano, ſectâ venâ ſanguis educitur, nigrum illud, & quod ἰλυῶδες ὃ ὑφιστάμενον conſpicitur, ſuccus eſt melancholicus, elemento terreo reſpondens. ὃ δὲ ἐπιπολάζον ὃ οἷον ἀφρὸς τις ἐπιχεῖται τῷ αἵματι; bilis eſt igneo elemento analoga. His interiecta pars rubro colore ſaturata, non ὑπερυθὴς; moderatè verò calida, non vt reliquæ; nec humida, vt pituita; aut ſicca, vt bilis; conſiſtentiâ tamen mediocri, & dulci ſapore odoréque grato prędita, ſanguis eſt æreo elemento non omnino abſimilis; cuius pars ſemicocta pituita eſt, quæ crudam vini portionem referens, aquei elementi naturam æmulatur. Ex his diuerſis partibus, homo quidem ὑγιαίνει, μάλιστα ὅταν ἔχει ταῦτα τῆς πρῳ̃της ἀλλήλοις κράσεως ὃ δυνάμεως, ὃ τῷ πλήθεος, ὃ μάλιστα ὡ̃ μεμιγμένα ἦ. Humores verò quicunque qualitate & iuſtâ quantitate præcellentes, à ſanguine, quo præ illis natura delectatur, ſeparati ſunt, vitæ potiùs inſidias ſtruunt, optimumque corporis ſtatum ſuâ defectione perturbant; vt Eudæmo in Lariſsâ ab hęmorroïdibus exangui facto contigit. Adeo verum eſt illud, πᾶς ὁ βίος τῷ ἀνθρώπῳ εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοσίας δεῖται.

VITA nihil datur prius in viuentibus. Ineſt primùm cordi in animalibus, quod inſtar ſalientis puncti in primâ pulli generatione cernitur: præcellentiſſimum eſt hominibus κειμήλιον, atque ὡς γνῶσι ὑπὸ θεῷ δηλῶ ſanctiſſimum depoſitum. ὑδὲ τῆς ψυχῆς πρὸ ἀνδρὸς φίλτερον ἄλλο, καλλιχόρῳ τε ἐστὶ ἡ ζωὴ, ὃ ἥλιος ἐστι πιμπλήτερον. O ſplendide æther, & diei ſacra lux; quàm ſuauis eſt aſpectus hic felicibus iuxtà ac miſerrimis. Naturâ omnibus ingeneratum eſt viuendi deſiderium: hoc quoque in ſupremo agone conſtitutos tenet, nihil intentatum relinquentes, quod ipſis opitulari queat. Nónne etiam Achilles mallet ſanè ruſticus eſſe, & mercede ſeruire alij viro inops, cui nec victus ſufficiens eſſet, quàm hominibus vitâ defunctis latè imperare? Adeo iucundum eſt illud ὁρᾶν φάος ἠελίοιο, vt nulli rei comparari poſſit; præſertim verò cùm ſanitatis commodo quis fruitur. Interdum rei ſubſiſtentiam & permanſionem vita exprimit. Sic terra vniter apta partibus aërijs Mundi, quibus inſita viuit. Nonnunquam pro fomentis, quibus conſeruari ſolet, accipitur. Sic opes, facultates, cæteráque ἀναγκαῖα, ſine quibus haud ſatis conſtat victus, bona dicuntur, quòd vitæ veluti theſaurum in ſe reconditum quaſi plenâ manu largiri videantur. Vita verò, provt eſt actus animæ, per nutritionem definitur: & perpetuata quædam eſt generatio; aut τῷ εἶναι continuatio: aut denique vegetantis animæ in calido humidóque non otioſa permanſio. Imò & ipſa anima ex præcipuo ſuo munere, θρεπτικὴ nuncupatur. Nec continetur vita ſolo calore; ſed innato, definito certo ſubiecto & temperamento: ſed actuali operante calore, qui in ijs, quæ poteſtate calida ſunt, non reperitur. Vt autem τῶν θερμῶν ἐστι τὸ ζῆν: ſic τὸ ἀποθνήσκειν καὶ τὰ ψύξις. Corruptio inquam animati corporis, vt animatum eſt; aut calidi ipſius natiui extinctio, & conſumptio humidi, mors eſt πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον.

CALIDVM ingenitum ex humore radicali, inſito ſpiritu, & naturali calore ſimul iunctis coagmentatur. Hoc aquâ, cuius eſſet omnia per omnia nutrire: & igne, omnia per omnia mouente, veteres expreſſerunt. Quippe vbi temperiem ſumpsêre humórque calórque, concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus. Formam aliam in viuentibus reperire difficile eſt; in homine verò maximè innoteſcit, cùm Fides ſanctiſſima nos ad Dei optimi maximi ſimilitudinem effictos eſſe doceat. Ipſi igitur calido ſufficiat humanæ Conceptioni præfuiſſe, dum conformationi ſolam animam, quæ ſtatim ab ipſo conceptu infunditur, addictam eſſe conſtet. Nunquid enim riſum mouet, fictitiam illam Arabum Colcodeam intelligentiam; aut Platonicam Mundi animam huic exequendo operi præficere? Humiditas natiua, non aquea eſt illa, quæ diu poſt mortem etiam in cadauere permanet: quâ terrena partium ſiccitas alioqui friabilis cohæret: ſed aërea, oleoſa, λιπαρὸς, ὃ μὴ ἐυεξέργαστος. Sola autem hæc humiditas ex ſe actionibus vitæ parum idonea eſſet, niſi nobilitata foret ac circumfuſa calore; qui non elementaris eſt, & ad mixtorum omnium productionem concurrens; ſed longè nobilioris rationis, & elemento ſtellarum reſpondens; nulli contrarius exiſtit magis quàm priuationi: perinde ac lux tenebris, aut viſus cœcitati. Verùm ille calor duplex eſt, ἔμφυτος alter, ſolidis partibus tenaciter inſidens; ἐπιῤῥυτος alter in ſanguine delitescens. Vterque ἀρχίγονος ſiue ἀρχαιόγονος nuncupatur. Ex ſemine enim in primo ortu deriuatur, in ſingulíſque animantium ſpeciebus propagatur; vnde fœcunda redduntur, licet inæqualiter, vtriuſque ſexus ſemina. In corde verò præcipua vitalis illius ſubſtantiæ portio reſidet. δεῖ γὰρ εἶναί πνα οἷον ἑστίαν, ἐν ᾗ κείσεται τὸ ζωπυροῦν, ὃ τῶν τὸ εὐφύλακτον, ἅπερ ἀκρόπολις ἅπασι τοῖς σώμασι. Vt calor, ſic ventus vitalis in ipſo corpore reperitur: eſtque tenuiſſima quędam ſubſtantia ex mixtione elementorum elaboratiſſima; luminis, ſplendoris & ętheręæ lucis omnino plena, vinculúmque humoris & caloris, cuius propria ſedes eſt. Spiritus autem ille externi aëris gaudet appulſu recreaturque: ἀφ᾽ τοῦ γὰρ ἐν τῷ ἀναπνεῖν ὃ ἐκπνεῖν ἐστι τὸ ζῆν. Atque vt aër inſpiratus pulmones frigidus ſubit; vnde caloris exceſſus attemperatur, ſpirituſque omnis generis formandi materia præparatur: ſic propter contactum calidioris loci & admixtionem fuliginoſi recrementi, calidus expiratur.

PERPETVO defluxu primigenium illud humidum diſſoluitur & abſumitur: ideoque breuì omnes omnino corporis partes langueſcerent atque extabeſcerent, niſi perpetuo pariter affluxu deperdita ſubſtantia reſarciretur, & in locum eius quod euaneſcit, nouum à ſanguine ὑπόκυμα ſufficeretur. Sanguis enim eſt πάντων τροφὴ, πάντων δὲ θέρμη, πάντων δὲ χρονή. Huius gratioſi humoris ἐκ τῆς ἀρχῆς μεγάλης ἐς τὰς ἐλάττους τόπους, fit indefinens diſtributio per arterias; quæ ſunt flumina humanam naturam alluentia: venæ autem canales ſunt per quos ad vitæ fontem effœtus nonnihil ſanguis reuertitur (vt natura circa ipſum denuo adlaboret; eſt enim διακείμενα τὸ μοχθηρὸν ἐξ αὐτῶ.) Sicque abſoluitur illa αἵματος ἡ περίοσις, ἡ περίοδος toties ab antiquis decantata; ipſi verò animali coœua, licet hoc tantùm ſæculo experimentis confirmata. ἐκ τούτων δὴ τῶν ἀγγείων ἀποπλαταῖμι αἷμα ὃ πνεῦμα, ὃ θερμασίη διὰ τόνων φιλᾷ, ὅτοι δὲ ὃ ζωὸν φέρεσι, κὴν ἀναιθέσιν ἀπέθανεν ἄνθρωπος. Perfectiorum animantium omne genus eſt εὔαιμον. Et gentilitati, ipſi quoque θεοὶ λεπτόβροι, εὔαιμοι dicebantur. Præter menſtruum ſanguinem, qui τῆς προφῆς πλεονασμὸς eſt: vitæ noſtræ alter author (σπέρμα) quid eſt aliud, quàm dealbatus ſanguis, ἀφρὸς τε τοῦ ἡκροτάτου αἵματος. Hinc eſt quod qui Veneri ſupra modum indulgent, cruentum ſemen emittant; nonnunquam & ſincerum ſanguinem fundant. Et quoniam ſemen à ſanguine, nónne etiam cognati conſanguinei dicuntur? Mulier ſanguine abundat (coque maſculeo frigidiori) ſæpe enim is in eâ duo corpora ſuſtinere debet. Quâcunque carnem diuidas, erit ſanguis, niſi corrupta ſit. Atque ideo τῶν ἐντῶν μὲν τινες λέγουσιν ὡς ὁ ἄνθρωπος αἷμα μόνον ἐστι. Eorum quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre perſpicuum eſt, nempe τὰ αἵματος ἐξαλλαγὴ τῶν φρονησιν ἐξαλλάσσουσιν. Imò omnis carnis anima in ſanguine poſita eſt. Nunquid enim per iram feruet, vbi ex oculis micat acriùs ardor? Per timorem fugit; per mœſtitiam pigreſcit; per gaudium effunditur; per pudorem in faciem excurrit. Talem autem τῷ ψυχικῷ, quam Corinthij cimices ἐξέπτην, vbi largiùs eduxeris, λειποθυμίῳ accerſes: interdum & λειποψυχίῳ, ac denique συγκοπικῷ; quæ eſt λύσις τῶν δεσμῶν τῆς εἰς ζωὸν δυνάμεως. Non pauci vulnerati in ſanguinis σφοδροτάτῃ πενεαγείῃ purpuream ſuderunt animam. Nec deerunt etiam eorum exempla, qui Medicorum in manibus venæ ſectione ſuccurrentium ad Orci fauces deuoluti ſunt. ἀφ᾽ τῶν τῆς δυσκρασίας κράματον λειποθυμήσαντες ἀλλ᾽ ἀνακομιζόντες δὲ ἠκέπ. Verùm qui mortem effugerunt, in reliquum vitæ tempus, λείφωμαι, ἄχρωι, ὃ καχέκται permanſêre: aut Scytharum in ſterilitatem vt minimum illapſi ſunt, abſente videlicet pretioſiſſimo illo naturæ theſauro: ex quo prauorum affectuum ilias prętereà ſuboritur. Hinc autem referre pedem, aut tanto ſe periculo ſubtrahere, vbi in illud ventum fuit: hoc opus, hic labor eſt. ὑγρὰ γὰρ παλίωντος φύσις λυθεῖσα. Sine multis membris viuere animal poteſt: ſine ſanguine nullum poteſt:

Ergo *ſanguis vitæ Theſaurus.*

F.M.P. BIBLIOTHECA

Proponebat Cadomi THOMAS MALOÜIN *Cadomæus, die 22. Decembris, ab 8. ad Merid.* A. R. S. H. M. DC. LXIII.

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.